

6.

Papst Johann XIII. erhebt die Kirche zu Magdeburg zur Metropolitankirche für die Bisthümer Brandenburg und Havelberg und genehmigt, daß der Erzbischof für geeignete Orte, zunächst für Merseburg, Zeitz und Meissen, Bischöfe weihe.

[Rom], 967 April 20.

Hdschr.: Cop. Lib. priv. S. Maur. fol. 9. Staatsarchiv Magdeburg.

Gedr.: Cod. dipl. Sax. reg. II. 1,3.

Anm.: Vergl. Einl. 170 Anm. 5 und 8. S. A. 313 Anm. 5, 314 Anm. 8.

5

Iohannes servus servorum dei episcopus urbis Romę archiepiscopis, episcopis et cunctis timentibus deum omnique cetui christianorum notum esse volumus, qualiter inspirante sancto spiritu meritisque apostolorum principis Petri et vase electionis sanctissimi Pauli ac milia milium martirum Christi Roma caput totius mundi et ecclesia universalis ab iniquis pene pessumdata a domno Ottone augusto inperatore a deo coronato Cesare magno et ter benedicto anno apostolicatus nostri secundo ipsiusque prenominati nostri spiritualis filii sanctissimi inperii sexto erepta est et in pristinum honorem omni reverentia redacta. Ipso namque anno una nobiscum favente et consentiente invictissimo predicto inperatore acta est magna synodus Ravenne duodecima kalendas magii convenientibus archiepiscopis et episcopis circumquaque ex omni Italia residentibus nobis in ecclesia beati Severi confessoris Christi et ibi statutis omnibus rebus ecclesiasticis secundum statuta canonum et decreta antecessorum nostrorum idem sanctissimus inperator ardentissimo cepit amore perquirere, quomodo nostra apostolica auctoritate a primordio nomen christianitatis in aquilonalibus partibus dilataretur. Nos vero eius animum in dei servicio ita mirifice detentum mirantes connivere ei dignum duximus statuente presente et consentiente sancta synodo et ipso inperatore, ut Magdaburch sita iuxta Albiam fluvium, ubi ipse a deo benedictus inperator corpus sancti Mauricii cum multis martiribus collocaverat et mire magnitudinis ecclesiam construxerat, deinceps metropolis sit et nominetur auctoritate beati Petri apostolorum principis et ea, qua predecessores nostri Constantinopolim statuerunt. Ideo quia filius noster sepe iam nominatus Otto omnium augustorum augustissimus inperator tercius post Constantinum maxime Romanam ecclesiam exaltavit, concessimus, ut non posterior sit ceteris urbibus metropolitanis, sed cum primis prima et cum antiquis antiqua inconvulsa permaneat. Suffraganeos vero eidem metropoli omnes unanimiter preordinavimus Brandeburgensem episcopum et Havelbergensem, his cunctis, quibuscunque inperator voluerit, in urbe Magdaburch archiepiscopus consecratur. Postea vero idem archiepiscopus et successores eius habeant potestatem per congrua loca, ubi per illorum predicationem christianitas creverit, episcopos ordinare, nominative nunc et presentaliter Merseburc, Cici et Misni a presenti decima indictione perpetualiter confirmamus permanendum statuente apostolica censura sub divini iudicii obtestatione et anathematis interdictionibus nulli licere nostrorum successorum atque pontificum vel alii cuilibet personę hec, que a nobis pia intentione statuta sunt, in quoquam convellere, sed potius firma stabilitate inconvulsa manere diffinimus.